

tritioni, non debet fraudari suo effectu; crescere enim potius debet ex adjunctione ad talem causam; sicut etiam quando sacramentum suscipitur cum contritione, non sufficit quod eadem gratia, quæ contritioni correspondet ex opere operantis, correspondeat etiam sacramento ex opere operato; sed oportet quod sit nova gratia, cum sacramento de se sit causa operativa gratiæ, quæ deficere non debet ex eo quod jungatur optimæ dispositioni. Sic cum duo sacramenta applicantur, unum ante susceptum, aliud modo, non debet aliquod illorum privari suo effectu, sed utrumque gratiam debet causare, atque adeo diversus gradus debet correspondere uni et alteri.

CCL. Ad primam confirmationem respondetur, quod in opinione eorum, qui dicunt reviviscere merita quoad omnem suum effectum, nulla est difficultas in argumento; tunc enim, sicut tota manet in acceptatione Dei, sic tota est debita, si ipse obicem et peccatum abstulerit. In alia vero opinione, quæ dicit totam gratiam semel amissam manere in acceptatione Dei, realiter vero non dari nisi secundum præsentem dispositionem, dicendum est quod tota gratia est debita, et quod realiter non detur, est per accidens, quia subjectum non plene se expedit in ordine ad totum effectum mortificatum, si quidem parem se disposuit.

CCLI. In quacumque vero opinione dicimus esse diversam rationem de gratia nunquam data, sed impedita per fictionem, et gratia jam data et amissa, quoniam semel data et amissa solum manet in acceptatione Dei, non vero in applicatione alicujus causæ certæ et determinatæ. Ex quo fit, quod illa quæ manent in acceptatione Dei, realiter applicantur juxta realem disposi-

tionem et capacitatem subjecti ad illa, quia non est alia causa a qua determinantur quoad realem applicationem meritorum.

CCLII. Quæ autem manent in applicatione alicujus causæ, non solum secundum dispositionem Dei, sed secundum applicationem talis causæ debent dari; et ideo totus effectus causæ sic applicatæ datur, non vero totus effectus gratiæ amissæ. Et quia talis causa applicatæ jam est, et dispositio qua fictio tollitur, non se habet ut applicans illam, sed applicatæ supervenit ut tollat ejus impedimentum, manifestum est, quod determinatio effectus dandi per illud sacramentum, ex dispositione qua applicatum est, non ex removente obstaculum est danda; quia vero nulla fuit applicans dispositio, dabit minimum effectum quem potest.

CCLIII. Quod si instes: Qui tollit obicem, tollit formam contrariam gratiæ: sed quanto aliqua dispositio magis tollit de forma contraria, tanto magis inducit de alia; ergo quanto major fuerit dispositio tollens obicem, tanto major dabitur gratia a sacramento.

CCLIV. Respondetur, quod obex ille, et est obex respectu causæ talis effectus et applicationis, ac operationis ejus. Secundum quod est obex effectus sacramenti, sic quanto tollitur magis, tanto magis opposita forma datur: secundum vero quod est obex operationi sacramenti, non quantum tollitur, tantum datur gratiæ a sacramento, quia causa non mensuratur suum effectum cum modo, quo obex tollitur, sed cum modo quo applicatur; et cum tollatur obex causæ jam applicatæ, dat effectum sacramentum eo modo quo applicatum fuit, non quo obex tollitur.

CCLV. Vel potius dicendum, quod dispositio removens fictionem, si sit

attritio cum sacramento pœnitentiæ, mensurat gratiam a pœnitentiæ dandam, et non potest mensurare aliud sacramentum, cum sit tantum una dispositio; si vero sit contritio extra sacramentum, probabile est mensurare effectum sacramenti informis.

CCLVI. Ad secundam confirmationem respondetur, illum qui fecte suscepit baptismum, et postea habuit contritionem ut duo, æqualem aut meliorem effectum habere cum eo, qui non suscepit baptismum, quia licet in susceptione illa baptismi peccaverit, et quantum est ex parte sua sacrilegium commiserit, tamen applicavit sibi causam, quæ ex parte Dei est efficax ad dandam gratiam, et propterea habet majorem fructum remoto peccato, quod commisit, quia tunc et habet ex parte sua dispositionem, sicut alius, et ex parte Dei causam infallibilem gratiæ.

CCLVII. Ad ultimam confirmationem negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod quando sacramentum habuit semel suum effectum, non potest iterum operari, quia virtus ejus in effectu cessavit; amissio autem gratiæ semel susceptæ non est obex virtuti sacramenti, sed est destructio ejus a subjecto; unde virtus ejus non manet amplius impedita. Et ita quando homo resurgit ad gratiam semel habitam, non tollit aliquem obicem ipsi sacramento positum, si quidem sacramentum jam operatum est; sed tollitur aliquid quod destruxit effectum ejus; unde ipsum sacramentum, sicut non ordinatur ad duos, sed ad unum dumtaxat effectum, ut instrumentum divinæ virtutis, ita neque amplius potest alium effectum habere, si ille, quem dedit, destruat: at vero quando fecte suscipitur sacramentum, impeditur virtus ejus, ne effectum habeat, non effectus ip-

se destruitur; unde cum necdum habeat eum effectum, ad quem a Deo determinatur, ideo remoto obice potest illum habere: destructo autem effectu a Deo determinato, non est necesse alium habere, quia non hoc modo ordinantur a Deo sacramenta, nisi tantum ad unum effectum.

AN SACRAMENTA CAUSENT PHYSICE, VEL MORALITER RECEDENTE FIC-TIONE?

CCLVIII. Tertio arguitur: Sacramenta semel suscepta recedente fictione non operantur physice gratiam; ergo neque ex opere operato sacramentaliter. Patet consequentia, quia quando non operantur physice sacramenta, neque ex opere operato causant. Antecedens patet, quia sacramentum recedente fictione jam non existit: ergo neque physice operatur.

CCLIX. Nec valet dicere, quod operatur media sua virtute, nam licet in sacramentis imprimentibus characterem, per illud videantur gratiam operari, quod tamen non est certum, in aliis tamen sacramentis nullam relinquunt virtutem, per quam operentur, nam sacramenta præter gratiam aut characterem, nihil aliud in subjecto impriment: illud enim vel est aliquid spirituale, et hoc non apparet quidnam sit, si quidem non est aliquid in potentia receptum, cum non sit habitus, aut dispositio melior, quia eodem modo se habent potentiæ sicut antea; neque aliquis actus ut patet, neque qualitas pertinens ad essentiam animæ, hoc enim præter gratiam non apparet quid sit: vel aliquid corporale, et hoc non habet apparentiam; neque apparet in parte corporis sit, præterquam quod sine causa multiplicantur illæ entitates, ut qui quotidie suscipit sa-

cramenta quotidie habeat novos ornatus et qualitates; ac denique quia non constat quod hoc, quod relinquitur, a Deo assumatur ut instrumentum physicum gratiæ.

CCLX. Confirmatur, nam actio illa, qua quis accessit ad baptismum, est peccaminosa; et quod virtualiter manet in illa, est virtuale peccatum: ergo nequit causare gratiam, neque a Deo assumitur ut instrumentum gratiæ, quamvis recedat fictio. Patet consequentia, nam recedere fictionem, est virtualementem illam actionem retractari, et deleri a subjecto; ergo non potest causare gratiam, neque a Deo assumi, ut instrumentum gratiæ; præterquam quod sacramenta ex virtute Christi, et institutione ejus, et applicatione passionis ipsius operantur; passio autem Christi non applicatur actioni, seu virtuti ex sacrilega susceptione sacramenti, sed ipsi reali sacramento; ergo postea non causant recedente fictione.

CCLXI. Confirmatur secundo, quia opus mortuum nunquam vivificatur; talis autem sacrilega susceptio est opus mortuum: ergo nunquam vivificatur.

CCLXII. Confirmatur tertio, nam sacramentum eucharistiæ, pœnitentiæ, et similia sunt iterabilia: ergo nulla est necessitas, quod semel collatum sacramentum postea effectum præstet, cum aliud suscipi possit loco illius, quod det effectum illum; quod non currit in baptismo, et in aliis, quæ non possunt iterari.

CCLXIII. Respondeo, quod et si Suarez disputatione xxviii, sectione iv ad finem, neget sacramenta, quæ recedente fictione conferunt effectum, conferre illum ut instrumenta physica (quod esse probabile reputat Nugno, quæstione lxi, articulo primo, difficultate.)

CCLXIV. Oppositum tamen verius

videtur, si quidem tunc causatur gratia ex opere operato per sacramenta evangelica, et per applicationem passionis Christi; omnis autem causalitas moralis non elevat sacramenta evangelica supra rationem signi, et modum operantis veterum sacramentorum: ergo diversum modum operandi habent; si autem Deus non utitur virtute sacramentorum, seu sacramentis virtualibus, sed se solo illam causat, vel concurrat tunc physice Christi passio, vel non, non potest dici quod non concurrat, cum sit instrumentum omnis gratiæ; si autem instrumentaliter concurrat passio Christi jam præterita, et solum virtualiter nunc manens, cur non et sacramenta virtualiter manentia, quæ sunt instrumenta separata meritorum Christi, et recedente fictione applicant illa merita? Vide D. Thomam quæst. lxi, art. x, comparantem hunc modum dandi effectum in baptismo præterito, ei qui datur in motu gravis, ex vi generationis præteritæ ipsius; forma enim rei genitæ perficit effectum generantis: sic actio sacramentalis relinquens characterem, aut hominem subjectum sacramento, et illi determinatum mediante hoc effectu, causat gratiam obice remoto. Elevatur autem ille effectus relictus non simpliciter, sed ratione actionis sacramentalis, cujus est effectus: et sic illa actio virtualiter manet, non solum physica entitative, sed ut sacramentalis, et elevativa in suo effectu seu determinatione, et remoto obice operatur.

CCLXV. Diximus ergo, quod illa virtus relictæ a sacramentis, est determinatio passiva subjecti, qua voluntarie se subicit sacramento, et ab ipso modificatur, talisque susceptio physice manet, et ratione illius physice sacramentum potest causare obice ablato. Sed est diffe-

rentia, quod in sacramentis imprimantibus characterem, ex subiectione ad talia sacramenta deputatur homo ad aliquam specialem actionem vel passionem, et ideo media aliqua qualitate ad id determinatur; in aliis autem sacramentis non deputatur specialiter ad aliquam actionem aut passionem: et ideo per illam susceptionem solum modificatur sacramentaliter talis susceptio. Et sicut non est inconveniens, quod homo multiplicando actus suos maneat multipliciter virtualiter modificatus, et determinatus: sic nec est inconveniens, quod multiplicando susceptiones sacramentales maneat virtualiter sacramentaliter determinatus multipliciter.

CCLXVI. Illa autem virtus videtur manere in voluntate, qua se determinavit ad illam susceptionem; sicut enim virtualiter manet affectus illi sacramento, quod semel suscepit, ita et vicissim sacramentum modificat talem virtualementem affectum, ut sit affectus sacramentalis habens applicatum sacramentum, vel potius in intellectu, quo per fidem voluit uti symbolo protestativo christianæ religionis. Vide D. Thomam in iv, dist. iv, quæst. iii, art. ii, quæstiuncula secunda, ubi ait: « Quod contactus sacramenti fit per intellectum, quem contactum facit fides: » et auctor sermonis de passione, apud Cyprianum: « Licet indigni sint, qui recipiant, reverentia tamen sacramentorum propinquiorem ad Deum parat accessum: » hoc autem non est magis inconveniens, quod assumatur a Deo ut instrumentum quoddam, quam quod assumatur passio Christi, virtualiter nunc manens in humanitate ejus et voluntate, quia se obtulit Patri, et sanctificavit nos.

CCLXVII. Nihilominus tamen alii dicunt, assumi a Deo pro instrumento actum, quo homo se dispo-

nit, ut recedat fictio, qui concurrat virtute præcedentis sacramenti; alii dicunt, et si non existat sacramentum, sufficere tamen quod extiterit aliquando, ut assumitur a Deo, quia sicut divina virtus non est determinata ad distinctionem loci, ita nec ad distinctionem temporis; et ita conditio hæc existentiæ in causa efficiendi suppleri potest a Deo, seu præsentia hujus durationis, sicut et contactus localis.

CCLXVIII. Utrique tamen non bene loquuntur. Primi quidem, quia actus ille est dispositio tollens obicem sacramenti, non vere sacramentum formaliter aut virtualiter, cum non sit aliquid ab eo relictum, sed aliquid ei superveniens et obicem tollens: ergo non assumitur ut instrumentum, sed virtus aliqua a sacramento relicta, seu aliquid vice ejus perseverans assumi debet. Secundi vero, quia quod nihil est formaliter nec virtualiter, et nec in se est, neque in sua virtute, nequit recipere motionem causæ principalis: ergo nec agere ut instrumentum; sicut enim agere sequitur ad esse, in his quæ agunt per formam, ita in his quæ agunt per motionem: utrobique enim oportet esse causam in actu, quæ operetur.

CCLXIX. Sed objicies: Virtus sacramenti informis non manet: ergo non relinquitur aliquid quod dici potest sacramentum virtualiter. Patet antecedens, nam virtus sacramenti est motio supernaturalis, qua sacramentaliter movetur a Deo; sacramentum autem informe non recipit hanc motionem: ergo non habuit aliquam virtutem, quam reliquerit in subjecto; non enim Deus efficaci motione elevavit sacramentum informe.

CCLXX. Respondetur negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens; virtus sacramenti est motio supernaturalis, virtus in-

tentionaliter constituens sacramentum in ratione completa et efficaci instrumenti, concedo antecedens; virtus quæ ex susceptione sacramenti relinquitur in suscipiente, quæ est virtus elevabilis, et sic sacramentalis, non elevata, seu determinatio ejus sacramentalis, nego; et prima non manet, neque communicata fuit nisi inchoative sacramento informi; secunda vero relicta fuit ab eo, et in ejus virtute sacramentum potest operari. Prima autem virtus non permanentur datur, sed transeuntur, et intentionaliter, nec relinquitur ex susceptione sacramenti, sed ei a Deo agente imprimitur.

CCLXXI. Et si iterum dicas: Nam Deus supplere potest distinctionem loci in causis: ergo et distinctionem temporis, respondetur negando consequentiam, nam distinctio loci est conditio extrinseca agenti, pertinens ad ejus applicationem ad agendum: distinctio vero temporis est conditio intrinseca pertinens ad actualitatem formæ.

CCLXXII. Ad primam confirmationem respondetur, illam susceptionem, et affectum ad sacramentum habere duplicem rationem; uno modo secundum quod est actio regulabilis a religione, et ab ipsa elicit; alio modo ut est voluntaria susceptio sacramenti, abstrahendo a modo debitæ, vel indebitæ susceptionis, sicut dicit D. Thomas de caractere, quod non datur ad bene vel male utendum sacramentis determinate, sed ad utendum absolute: sic ergo illa actio, quatenus est indebita susceptio, tollitur ut sacramentum operetur, per hoc quod debita dispositio ponitur; quatenus autem est susceptio sacramentalis, per contactum suum in intellectu mediante actu fidei sic operatur in virtute ejus recedente indebita dispositione; et hæc modificatio con-

tactus semper cadit super aliquam determinationem passivam relictam in anima, seu in intellectu, quæ homo se determinavit vel implicite vel explicite ad suscipienda sacramenta, vel hoc sacramentum. Quod si ista determinatio corrumpitur, quatenus se habet ut dispositio vel habitus, non tamen corrumpitur prout est determinatio characteris. Character enim indelebiliter est determinatus ad sacramenta valide suscipienda, unde modificat actus quibus homo ad sacramenta se determinat, et ex talibus actibus relinquitur etiam actu, vel virtualiter determinatus character, non per habitum sibi superadditum, sed per modificationem, quia character non habet producere actus, sed modificare; et ista modificatio est etiam perpetua, quia non est a quo corrumpatur; si autem aliquis nullum habuit actum, modificat sacramentalis susceptio ipsos habitus, vel characterem, et cadit super determinationem habituales, et non virtuales.

CCLXXIII. Quod autem dicitur, passionem Christi non applicari nisi sacramento, concedimus hoc verum esse, sed sicut applicatur sacramento suscepto, non autem sacramento ut sic, ita et susceptioni ejus, in qua virtualiter sacramentum manet; totum enim id pertinet ad sacramentum, et sic agendo per illam virtutem et determinationem agit per sacramentum.

CCLXXIV. Ad secundam confirmationem respondetur, quod illa actio, ut procedit irreligiose a suscipiente, nunquam vivificatur; ut autem modificatur a sacramento, ut a quodam instrumento Christi ex opere operato ejus, sic recedente in dispositione operatur, et sic dat vitam sibi subjecto.

CCLXXV. Ad tertiam confirmationem dicitur, quod ratio quare sa-

cramenta operantur recedente fictione, non fundatur solum in necessitate talis sacramenti, sed in natura sacramentorum, quæ sunt causæ physicæ gratiæ, et applicatæ simul subjecto, si impediatur a suo effectu, oportet accedente fictione illum habere, et hoc universaliter currit de omnibus sacramentis.

CCLXXVI. Et præterea, quia si in aliquo sacramento sufficienter remanet in subjecto, cui semel applicatum est, ut recedente fictione possit operari, quidni et in aliis, quæ sunt similiter causæ gratiæ, remanebit itidem in subjecto sufficienter, ut recedente impedimento operentur? Necessitas enim illorum aliquid extrinsecum est, et veluti ratio finalis in aliquibus sacramentis; ratio autem propria et quasi intrinseca est, quod virtualiter in subjecto manent, dum impediuntur, quæ ratio in omnibus currit, etsi tanta necessitas desit.

CCLXXVII. Præterquam quod in omnibus necessitas intervenit, nam eucharistia, quæ magis iterabilis est, cum sit necessaria decedentibus, quia si aliquis fecte illam suscepit, et postea copiam non habeat eam sumendi, sed tamen conteratur, aut confiteatur, oportebit fructu eucharistiæ non carere, et simile quid in confessione informi. Reliqua autem sacramenta, aut simpliciter, aut pro aliquo statu non sunt iterabilia, et ita oportet non fraudari effectu suo.

DUBIUM SEPTIMUM.

UTRUM SIT POSSIBILE QUOD RES CORPORALIS, SICUT SACRAMENTUM, SIT PHYSICUM INSTRUMENTUM PRODUCTIONIS GRATIÆ?

Conclusio est affirmativa.

CCLXXVIII. Pro cujus intelligentia notandum est in conclusione

duas involvi quæstiones, quas seorsum oportet tractari. Prima, de productione instrumenti, quantum ad substantiam, an scilicet possit instrumentum aliquid attingere substantiam ipsam gratiæ, vel solum unionem ejus ad subjectum, aut dispositionem aliquam ex parte subjecti ad gratiam: secunda est de productione instrumenti, quantum ad modum, an scilicet recipiendo præviā motionem a causa principali, et etiam in se aliquam habendo operationem propriam, vel alio modo.

INSTRUMENTUM CORPORALE ATTINGIT GRATIAM IN SE, ET NON SOLUM UNIONEM.

CCLXXIX. Et quantum ad primum dicimus, quod bene potest per instrumentum aliquid attingi gratia, et spiritualis qualitas in se, et non solum unionem ejus aut dispositionem attingendo, ut volunt aliqui fundati in D. Thoma in iv, dist. i, quæst. i, art. iv, quæstiuncula prima ubi clare dicit: « Quod instrumentum gratiæ, etiam instrumentaliter non pertingit ad ipsam justificationem, seu ad ultimum effectum, quod est gratia, sed solum ad aliquam dispositionem, quæ est necessaria ad ipsam gratiæ susceptionem: » et idem aperte asserit in distinctione viii, quæst. i, art. iii ad quintum, ubi ait: « Quod virtus agentis principalis respicit principaliter terminum ad quem, sed virtus causæ instrumentalis non attingit ad terminum ad quem, sed habet operationem suam in his, quæ sunt circa terminum a quo, sicut qualitates activæ elementales non attingunt ad animæ rationalis introductionem: » et idem ait in quarto ad Annibaldum, distinct. i, quæst. i, art. iv dicens: « Quod in-